

“ et salubriter ad Dei gloriam et divini cultus augmentum providere, sic statuendum et ordinandum duximus,”

—have become in various respects obsolete through lapse of time, or unsuited to the altered character of the times; and it is expedient that the same should be revised and altered, and that Statutes should be made for the government of the College, with a view to promote the main designs of the Founder and the interests of the College as a place of Learning and Religious Education, in such manner as may be best adapted to the circumstances of the present time, We, the Commissioners appointed for the Purposes of an Act passed in the Session of Parliament holden in the Nineteenth and Twentieth Years of the reign of Her Majesty Queen Victoria, intituled “ An Act to make further provision for the good Government and Extension of the University of Cambridge of the Colleges therein, and of the College of King Henry the Sixth at Eton,” do hereby, in execution of the powers vested in us by the said Act, make the following Statutes for the future government and regulation of the College of Corpus Christi and of the Blessed Mary, in the University of Cambridge.

STATUTA COLLEGII CORPORIS CHRISTI.

STAT. I.

De Numero eorum qui in Collegio sustentabuntur.

Imprimis statuimus et ordinamus quod sint perpetuo in dicto Collegio unus Magister sive Custos ejusdem Collegii; duodecim Socii; duo Bibliotistæ; sex Scholares. Qui quidem omnes juxta Statuta et Ordinationes subsequentes eligantur et habeantur in Collegio prædicto in perpetuum. Quem quidem numerum tam Sociorum quam Bibliotistarum et Scholarium augeri volumus juxta sanum judicium Magistri et Sociorum omnium, cum consensu Visitoris, prout pro utilitate dictæ domus et pro statu reddituum et possessionum ejusdem commodum eis visum fuerit et necessarium.

STAT. II.

De Qualitatibus et Electione Magistri.

Statuimus et ordinamus ut Magister sive Custos sit Presbyter Ecclesiæ Anglicanæ; bonæ famæ et vitæ honestæ; providus et circumspectus; Sacræ Theologiæ Professor, vel Sacræ Theologiæ Baccalaureus, vel ad minimum cui gradum Sanctæ Theologiæ Baccalaurei juxta statuta Academiæ infra triennium electionis suæ suscipere licebit. Qui quidem Magister sive Custos teneatur gradum Sanctæ Theologiæ Professoris suscipere quam primum per statuta et ordinationes Academiæ licuerit, nisi ob gravem causam per majorem partem Sociorum approbandam. Cum autem contigerit officium dicti Magistri per mortem, resignationem, privationem, vel cessionem, aut alio quovis modo imposterum vacari; Volumus ut alius Magister idoneus per Socios (ejusdem, seu per majorem partem eorum, de seipsis aut aliis eligatur, prout secundum Deum et pro commodo dictæ domus melius viderint expedire. Et hujusmodi electio Cancellario sive Procancellario notificetur per duos Socios Collegii, qui in electione præsentem fuerint, simpliciter approbanda, sed non examinanda nec impugnanda quovis modo. Nec per hoc habeat Cancellarius sive Procancellarius dictæ Universitatis potestatem sive jurisdictionem dictam electionem cassandi seu impugnandi, sive de statu dictæ domus aliquammodo ordinandi, contra formam ordinationis nostræ prædictæ.

STAT. III.

De Modo eligendi Magistri.

Statuimus quod, vacante ut supradictum est officio Magistri, immediate infra tres dies ejusdem vacationis cognitæ et perspectæ, senior Socius, qui tunc domi in Collegio fuerit, sub pœna amissionis vocis suæ in electione sequenti, faciat omnes Socios ejusdem Collegii convocari in villa præsentem. Quibus sic convocatis, assignabit diem et horam electionis futuræ, quam volumus post hujusmodi convocationem omnino ante diem tricesimum, non autem ante diem decimum tertium fieri; Socios etiam absentes, quantum fieri poterit, de die et hora electionis futuræ certiores faciat. Quod si infra illos tres dies significare diem electionis prædictus Senior noluerit, vel per negligentiam omiserit, tunc statim die sequente post hos tres dies sic elapsos liberum sit proximo Socio seniori tunc præsentem diem et horam constituere electionis secundum formam prædictam.

Proviso semper quod septem ex Sociis prædictis ad minimum intersint hujusmodi electioni, si tot Socii eo tempore superfuerint. In qua quidem Electione,—invocata prius gratia Spiritus Sancti, habitaque brevi exhortatione per seniore presentem ut eum Magistrum præficiendum curent, quem putaverint Collegio fore maxime commodum et idoneum,—volumus illum seniore adjungere sibi proxime seniore, qui sua ipsorum suffragia suis manibus scripta primi ferent, deinde omnium Sociorum presentium etiam suis ipsorum manibus suffragia scripta accipiant. Quibus bene consideratis inter se, illum Magistrum senior Socius, vel ille alter, qui cum seniore in scrutinio stetit, statim absque dilatione, sub pœna amissionis sodaliti sui, sic electum pronuntiabit, quem major pars Sociorum presentium suffragiis elegerit. Quod si contigerit ut æquales voces sic eligentium fuerint, tunc illa pars, cui Socius ille maxime senior inclinaverit, præponderet in electione prædicta.

Proviso quod, si in primo scrutinio in electione Magistri major pars Sociorum presentium non convenerit, tunc iterum ac tertio ad simile scrutinium accedant, donec aliquis in Magistrum per majorem partem electus fuerit. Quod si in tertio scrutinio non congruerint, tunc volumus illum in Magistrum præfici, quem Cancellarius vel eo absente Procancellarius ex personis per Socios nominatis duxerit maxime idoneum. Postquam autem hujusmodi electio facta fuerit et pronunciata, tunc teneatur prædictus senior eandem Magistro sic electo significare, cum primum commode fieri potest, cumque coram Societate personaliter præsentare. Quibus sic peractis, antequam ad administrationem aliquam se intromittat, volumus eum præstare professionem, seniore Socio illam proponente sub hac forma verborum quæ sequitur.

Professio Magistri.

Profiteberis quod officium Magistri sive Custodis pro tempore gubernationis tuæ fideliter præstabis. Statuta, Ordinationes, et Consuetudines laudabiles hujus Collegii, quantum in te est, salva observabis, eademque Statuta diligenter et fideliter exequeris; et ab aliis, quantum in te est, observari procurabis. Bona et Possessiones dicti Collegii fideliter custodies, custodiri que facies. Ita fidem dabis. Qua professione præstita admittatur a Socio seniore, sed in propria persona in ipso Collegio, sub hac forma verborum quæ sequitur; Auctoritate mihi commissa admitto te Magistrum hujus Collegii in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.